1273 31. Okt. humane salutis, in quo eciam electus fuit, MCCLXXIII ultima die Octobris[100]) in presencia regine et filiarum suarum.

(244, 30—31) Iste comes Růdolphus ante et post electionem in regem a juventute sua semper singularem devocionem habebat ad beatissimam sanctissimamque virginem dei genitricem Mariam et ideo in omnibus festivitatibus eorum nullum malum commisit[n]) (ut solent alii bellatores, qui inimicos suos semper persequuntur et nullo tempore curant).

255, 1—26 1288 Cum semel anno domini MCCLXXXVIII Růdolphus rex esset Moguncie et mane ante ortum solis de lectu surrexisset et frigus ipsum modice molestasset, vidit ex opposito domus, in qua jacuit, pistrinum multis vivis carbonibus habundare, induit se sola tunica, carbones vivos velociter visitavit. Hospita vel pistrix ignorans ipsum esse regem sibi loquebatur spiritu vehementi et dixit: Milites non deberent ad mulieres pauperculas declinare. Dominus rex mulieri respondit et humiliter loquebatur: O domina, nolite propter meam presenciam turbari, sum enim antiquus miles et omnia mea in servicio vilissimi regis Růdolphi consumpsi et contra bona promissa me patitur indigere. Mulier dixit: Sequimini vos regem Růdolphum vilissimum cecum antiquum filium mulieris ultro virum rapientis, qui totam terram destruxit et omnes pauperes devoravit. Ergo merito vos hec mala et alia comprehendunt. Rex mulierem interrogavit: Et que mala vobis fecit? Respondit mulier turpissime regem vituperans atque maledicens cum magna cordis amaritudine: Ego et omnes pistores civitatis huius preter duos per eum depauperati sumus, quod temporibus nostris ad divicias quondam habitas
fol. 180r non amplius | possumus pervenire. Et post hec mulier dixit: Domine recedatis, quia nos in nostris occupacionibus retardatis. Rex autem propter verba mulieris recedere recusabat. De hoc mulier indignata vas aque sustulit, prunas perfudit et antiqui militis seu regis vestem enormiter perturbavit. Rex igitur fugit et ad suum hospicium festinavit. Cum autem postea ad mensam sederet, dapifer sibi caput porci cum multis apponebat. Memor tunc beneficiorum, que pistrix ei contulerat, eique retribuere cupiebat, advocans rex hospitam dixit ei: Hanc scutellam cum carnibus et quartale vini recipiatis et vicine vestre de antiquo milite deferatis. Agit enim ei gracias, quod apud[o]) suos carbones de mane fuerat calefactus. His igitur peractis recitavit rex qualiter pistrix eum vituperaverat atque maledixerat et ad risum omnes magnum

[n]) commisit *Korrekturzusatz*

[o]) *Hs.* aput

[100]) *Datierung umstritten, wahrscheinlich der 24. 10. 1273. Vgl. RI, Nr. 4 d.*